ad tale opus destitutus, te enim suppono in geometricis non mediocriter versatum, alioquin nullum hinc fructum colliges restat. vt te admoneam me summam semper affectare in demonstrando generalitatem, non solum in his sed etiam in alijs à me editis; ita vt admirer R.P. Franciscum Eschinardum è Societate Iesu in suo Dialogo optico Pag. 26. affirmare me demonstrasse in optica mea promota, quod imago in eodem videatur angulo ex vertice emersionis quo uisibile ex vertice incidentiæ, solummodo in lentibus ellipticis & hyperbolicis, nam nõ solum in illo, sed etiam in omnibus meis theorematis præcipuis è quibus tota deducitur opticæ scientia nẽpe 26.27.44.45.46.47.50. nihil dico nec suppono de vlla particulari figura sicut cuiuis legenti patebit, extat enim exemplar Romæ in Bibliotheca Augustiniana. Verùm certè est in problematis me semper adhibere lentes, & specula elliptica, & Hyperbolica, quippe exacta et geometriæ conformia, & in hoc allucinatur R. Vir quod problema à theoremate non distinxerat, nam in suo dialogo, ne grauius dicam, nullum extat problema. Illud quoque quod asserit pag. 54. veritati vix consentit, quod librum meum tum primum viderat dum proprium illius opusculum esset ferè sub prælo, octo enim Mensibus ante absolutam sui dialogi impressionem meum apud se habuit, sicut testantur omnes in Romano Scotorum collegio tunc studiosi, vbi ipse erat præfectus. doleo certè quod vir alioquin doctus pulchram opticæ scientiam fædis sui dialogi erroribus disfiguret; nam in ipsa imaginis natura, quam tot argumẽtis conatur probare se inuenisse ante uisa mea scripta, turpiter allucinatur, dum imaginem distinguit à foco tanta